



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 3. Quid est virtus Pœnitentiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

2 TRACTATUS VI.

dis, aut pro virtute Pœnitentiæ, aut pro Sacramento Pœnitentiæ.

Quæst. 3. Quid est virtus Pœnitentiæ?

Resp. S. Thomas eam definit virtutem quâ Pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione removendi ea: unde manifestum est, quod Pœnitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus vel actus virtutis. Efficir Pœnitentia ut moderatè doleamus de peccatis in Deum commissis cum proposito illi satisfaciendi & non peccandi de cætero: idque propriè Pœnitentiæ virtus producit in pœnitentibus ut rectè observatum est à Catechismo Concilii Tridentini. Interdum enim, inquit, evenit ut ex admissis sceleribus minorem quàm par est, dolorem homines capiant; quin etiam ut à Salomone scriptum est, nonnulli sunt qui cum malefecerint, letantur: rursus verò alii ita se mœrore animi & agri tudini dedunt, ut de salute prorsus desperent; qualis fortasse Cæin videri potest, qui ait: Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Et qualis certè Judas fuit, qui Pœnitentiâ ductus suspendio vitam & animam amisit. Vt igitur modum in dolore tenere possimus, Pœnitentiæ virtute adjuvamur.

Quæst. 4. Quid est Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Est Sacramentum novæ Legis à Jesu Christo Domino nostro institutum, in quo relapsis post Baptismum, illud cum debitis dispositionibus percipientibus remittuntur peccata per Sacerdotalem absolutionem.

Primò, est Sacramentum ut à Concilio Tridentino sub anathematis pœna contra negantes definitum est his verbis: Si quis dixerit Pœnitentiâ non esse verè & propriè Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum

D. Tho. 3. P.
q. 83. art. 1.
in corp.

Catechif.
Conc. Trid.
part. 2. De
Sacram. Pœ-
n. num. 9.

sess. 14. Can.
20.